

27. *Quæ libera ac spontanea subiectio non excludit æternum illud decretum, quod de mittendo Filio suo in carnem, ac per ipsum redimendo genere humano iam olim ab omni æternitate Deus sanciverat: siquidem in eo etiam ex omni parte nihil coactionis, nihil violentiæ: sed mera Φιλανθρωπία, mera gratia, favor, amor ac humanitas ineffabilis dominatur.*

28. *Vnde scriptura aliquoties DEVM Patrem ad hoc Filium suum destinasse, imò adversa, quæ pertulit, omnia in ipsum coniecisse, ac sic in infirmitate conteri ipsum voluisse, testatur, Ies. 53, 6. & 10.*

29. *Et Apostoli asserere non dubitant, Herodem, Pilatum & Iudæos convenisse adversus IESVM, ut faciant, quæ manus & consilium DEI decreverint. Act. 4, 12. & 28. Et Petrus Christum definito consilio, & præscientia DEI traditum pronunciat, ut cruci affixus, à Iudæis interemtus sit. Act. 2, 23.*

30. *Faceffat autem impia Calvinistarum expositio, hosce locos de speciali quodam actu DEI interpretantium, quo id, quod in passione morteq; Christi ab Herode, Pilato & Iudæis peractum est, peculiari DEI motu & ordinatione effectum sit. Abhorret enim etiam à sono istorum dictorum verè pius animus: Et scriptura nihil istorum, ne in speciem quidem usquam asserit.*